

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XIV. Qualiter electi et reprobī in coelo, in purgatorio et in inferno
comparent.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

perimur; secundum purgatorium est post hanc vitam : immane nimis, quod in faucibus inferni incipit et in porta cœli desinit et finitur. Dæmones autem potestatem non habent animas puniendi nisi super terram et in aere et in omnibus locis in quibus peccatis suis aërem maculavit. Hæc sunt testimonia diaboli in verecundiam et pœnam ampliorem peccatorum, quæ hic per pœnitentiam diluere neglexerunt. Cum autem manum diabolicam evaserunt, tunc in semetipsis ardore mirabili etiam pro culpis minoribus cruciantur; deinde adjutoriis et compassionibus a pœnis omnibus elevantur, ubi cœlo proximi omnibus gaudiis perfruuntur; attamen visione Dei nondum digni sunt, nec gloriam quam accepturi sunt adhuc habent, nec coronam de manu Domini perceperunt. Hæc est dispositio purgatorii in terra et aere, inter infernum et firmamentum. Anima autem quia spiritus est, a corporalibus rebus cruciari non potest, cum fuerit a corpore separata.

XIV. QUALITER ELECTI ET REPROBI IN CÆLO, IN PURGATORIO ET IN INFERNO COMPARENT.

IV. 25.

NOSTRA præsentia jam nunc resplendet in cœlestibus, secundum quod hic decorati virtutibus et charitatis Dei munere sumus, sic jam manifesta omnibus beatis; laudantque Dominum et gaudent ac si jam eorum consortio jungeremur. Nostrum autem profectum non cognoscunt, verumtamen virtutum incrementum et claritatis augmentum, et ascensus ad profectum sanctis hic de die in diem conceditur; unde sanctorum meritum et angelorum jucunditas cumulatur. Cum vero in quæcumque peccata labimur, pulchritudo in nobis cœlestis obumbratur, et desiderant angeli, orantque pro nobis sancti, ut purificati per pœnitentiam revertamur.

In purgatorio quoque nostra apparet præsentia; unde ibi existentes contristantur, nec tamen juvare nos poterunt, suis cruciatibus miserabiliter occupati. Multæ cum tam gravibus culpis ad purgatorium animæ descenderunt, quod eis scire non conceditur si unquam debent liberari. Quare? Nolebant, dum viverent, suis carnalibus labiis confiteri. Quomodo au-

tem salvari valeant in loco alio est descriptum ¹. Peccatorum manifesta est præsentia in inferno, quos divina sic prosequitur misericordia, ut qui hodie sunt dæmonum, cras fiant socii angelorum. Sic variatur nostra præsentia de cælo ad purgatorium et ad infernum, prout nostræ voluntatis declinat arbitrium.

DE IMMENSA ET INEFFABILI MISERICORDIA DEI.

AUDIENS et perpendens immensam Dei misericordiam, dixi: Domine, justitia et misericordia tua unum sunt, et secundum magnitudinem misericordiæ tuæ magna est justitia tua. Quid igitur est quod misericordia tua magis elucet in omnia opera tua? Respondit mihi Dominus magnæ fidelitatis et clementiæ verbum: Per memetipsum juravi et vere dico tibi, quod plures in Ecclesia mea reperiuntur, qui sine medio de morte transeunt ad vitam, quam qui æternis suppliciis deputantur; justitia tamen suæ rectitudinis potestatem non deserit; nam quidquid ejus conspectui cum crimine oblatum fuerit, hoc de manibus ejus a me nullatenus auferetur; verum tamquam pater desolatam animam primitus visitabo, si quid boni in non desperante potuero invenire. Cogit me adhuc paternæ fidelitatis tentatio, qua circa filios meos moveor *quos creavi*. Et dixi: Eia, Domine, indica mihi hanc tuam tentationem, ut tua delectatio et meum desiderium conveniant et concordent. Respondit Dominus: Audi quomodo tentor: bonitas et largitas, fidelitas ac miseratio tam fortissime me compellunt quod sino ut per montes superbiæ et valles humilitatis, per rubos immunditiæ et per plana munditiæ, transeant atque fluant. Plusque me cogit dulcedo benignitatis quam hominem perversum amaricatio suæ mentis, majorque est meæ pietatis clementia quam omnium dæmonum malitiosa dementia. Et dixi: Domine, tua justitia sic in tua resplendet et condecet veritate, quod inæstimabilem sine cordis molestia mihi ingerit lætitiâ, et quocumque se convertit, in hoc veritas exultabit.

III. 22.

1. Lib. III. cap. 21.

ORATIO DEVOTA ET GRATIARUM ACTIO.

- V. 35. **E**IA, pie Pater, trahe animam meam sine impedimento in te, et occurre illi in omnibus bonis quæ sunt in te. Tunc orare, imperare, et te plene laudare vellet *cum Unigenito tuo Jesu Christo* super omni bonitate tua. Eia, da mihi, Domine, sanctæ Trinitatis tractum, in dulcis amoris volatu, ut laudabiliter fruar omnibus donis largitatis tuæ, et nunquam a te petam quod tu ad gloriam tuam nolueris exaudire. Amen.
- Eia, Pater omnis bonitatis, ego peccatrix gratias ago tibi super omni fidelitate tua cum corpore afflicto et languido, cum anima exule et corde culpabili, cum sensibus turbatis et despecta vita in hoc mundo. Domine Pater, hæc sunt in me et mea, et nihil aliud; nunc laudo te et gratias ago tibi, cum dilecto Filio tuo Jesu Christo, et cum universa creaturâ tua; et bonitate qua eam creaveras antequam peccaret et futura est in renovatione, qua eam dignaberis reformare. Eia, dulcis Pater, cum omnibus rebus his laudo te hodie, quia animam meam [exulem] et corpus meum [miserum] semper custodia fidelissima protexisti, et pro omnibus donis quæ tu mihi, magne Deus, corporaliter et spiritualiter largissime contulisti. Cum hac universitate creaturæ desidero, Domine, hodie laudem tuam, in omnibus et pro omnibus rebus quæ de corde tuo dulcissimo, immaculatæ, Pater mitissime, profluxerunt. O dilecte præ omni dilecto, invocò te hodie, cum his omnibus ad laudem tuam, pro [verâ mutatione et] conversione plenaria omnium peccatorum qui adhuc peccatis criminalibus prægravantur. Oro te, vera charitas, pro incremento sanctarum virtutum et christianæ religionis omnibus qui in hac vita sine crimine conversantur. Rogo te, Domine, pro omnibus animabus in purgatorio afflictis et pro iis specialiter qui per nostram negligentiam talibus cruciatibus sunt addicti, [quod nos per bonum exemplum avertere debuissimus.] Supplico te, Domine, pro sancta sanctificatione et vera defensione, tuique spiritus infusione, nominatim pro omnibus qui meum exilium pro tua charitate per suum

sustentant auxilium, corporis et animæ præbentes subsidium. Imploro te, Deus, qui dives es *in omnes qui invocant te*, per Jesum egenum Filium tuum, ut pœnas spiritalis paupertatis meæ et amaritudinis meæ fel in faucibus mentis meæ [in mel velis convertere.] Oro te, Deus, vita vivens, pro nobilitate fidei christianæ, ut tu, Domine, eam nobis defenses per tuam sapientiam contra falsos testes. Et confirma spiritum nostrum ut in veritate beatifica requiescat. Rogo te, dulcis Domine, pro omnibus qui me cruciant christiani, ut te hic adhuc cognoscere et diligere mereantur. Supplico tibi, omnipotens Deus, pro repressione vera falsæ dominationis cum discretionem, et pro misericordi compassione multitudinis innocentis. Rogo te, consolatio æterna, Deus, ut consolari digneris omnes desolatas animas, quæ hodie cum angustia et tremore de suis corporibus separantur, ut eas per tuam sententiam ad vitam æternam deputes et misericorditer *salves*. Oro te, Domine, pro emendatione et spiritali perseverantia ac laudabili custodia divinæ veritatis in omnibus, et specialiter iis qui religionis habitum et ecclesiasticam potestatem pro tuo amore deferunt et exercent. Imploro te, piissime Deus, pro vera gratitudine omni tempore, pro tuis beneficiis cunctis, [ut succurras his] qui pro tuo nomine paupertatis et miseræ onus portant. Supplico tibi, sancte Deus, pro clementi respectu inutilis vitæ meæ et pro continua tecum mei spiritus unione, et pro fideli viatico sacri corporis tui, quod in extremis meis sicut sit ultimus corporis et animæ meæ *in æternum*. Supplico tibi, summa et benedicta Trinitas, pro extrema hora exitus de hoc exilio, cum anima mea misera a corpore dividitur, ut tu, Domine, tunc ad me digneris te inclinare, ut omnes inimici mei tristes a me discedant, et juxta tuam voluntatem et meum diutinum desiderium, te jugiter intuear, ut oculi animæ meæ in tua deitate ludant, et dulcedo amoris tui de tuo pio pectore prodiens animam meam profluat et infundat. P. D. N. J. C.

Benedictus sis, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi! Credo, Domine, et vere scio quia tu es verus Deus et verus homo. *Digneris nobis hic tuam præsentiam exhibere*; ideoque adoro

VI. 37.

te Deum et Dominum, Creatorem et Redemptorem, Regem regum, mihi præ cunctis dilectum in sæcula sæculorum. Confiteor, sancta Trinitas, *cum gemitu et querela cordis mei*, sine timore et verecundia coram te, *graviter* me peccasse. Concede mihi quæso, mitissime Deus, plenam indulgentiam omnium peccatorum, et coram te gratiam et amicitiam invenire, quoniam consuetudo peccandi menti meæ tenebras superduxit. Munda, Domine, cor meum ab omni terreno amore, et fluentis cœlestis roris arentem infunde animam ut digne defleam peccata, quibus et me perdidisti et te irreverenter contempsi. Ago tibi gratias, Domine Deus, pro beneficiis quæ omnibus diebus nostris a te accepimus, et nunc accipimus, et æternaliter accepturi sumus. Oro te, omnipotens Pater, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut purifices et custodias me ab omnibus peccatis, et sanctifices me in omnibus operibus virtuosis. Rogo te, Domine Jesu Christe, per angustias et horrores mortis quos caro tua in cruce sustinuit, ut oculis tuæ [divinæ] miserationis [et tuæ humanæ fidelitatis, et tui sancti Spiritus favore] necessitates meas ad extremam horam vitæ meæ clementer intueri digneris, et concede mihi ut sacramenta corporis et sanguinis tui, ea fide et charitate tunc suscipiam, ut sint corporis et animæ meæ perpetuum alimentum. Rogo te, Deus meus, ut me tunc digneris ab omnibus hostibus liberare, et spiritum meum tuis consolationibus sublevare. Rogo te, Fili Dei, ut animam meam cum benedictis manibus tuis excipias, et perducas me cum gaudio ad regnum Patris tui, ubi te cum omnibus Sanctis tuis, [ex hoc exilio] fruar æternaliter et collaudem. Præsta mihi hoc, Domine Jesu Christe, et omnibus mecum qui pro amore tuo, [qui nunc ibi sunt et adhuc pervenire debent], mihi favent et benefaciunt, *me suis beneficiis sustentantes*; iis quoque qui me impugnant contra voluntatem tuam, et omnibus christianis tuam misericordiam non deneges impertiri. Supplico tibi, Domine Deus, ut propter gloriam tuam concedas Ecclesiæ tuæ in perpetuum Caput plenum virtutibus catholicis, Romanum scilicet Pontificem, per quem Ecclesia dilatetur, a peccatis liberetur, et in omnibus operibus sanctificetur. Libera, Deus, hodie [cum tua potenti dextera] Jerusalem, civitates et terras quas iniqua potestas opprimit, ut ibi laus tibi a

fidelibus decantetur. Cum omnibus Sanctis tuis supplico tibi ut pacem et aeris temperiem cum fructibus necessariis donare digneris huic terræ et omnibus populis christianis. Conserva, Domine Jesu Christe, amicos tuos in tua gratia, et hostes tuos converte, et eorum dilue pravitatem. Rex regum et corona omnium principum, rogo te ut principes hujus terræ et totius Ecclesiæ Spiritu Sancto adunare digneris, ut nunquam iniqua bella et congregationes perversas exerceant contra tuam voluntatem et propriam felicitatem. Consolare, Domine, omnes fideles in aquarum, infirmitatum, captivitatum, tentationum, turbationum, paupertatum angustiis constitutos ut nunquam a tua gratia decidant vel trahantur. Miserere, benignissime Deus, animabus quæ hodie per mortem a suis corporibus separabuntur; salva eas et dona eis requiem sempiternam. Eia, pie Deus, propitiare animabus parentum meorum, et omnium qui in purgatorio cruciantur; libera eas, Domine, in hac hora, propter gloriam nominis tui sancti. Requiescant in pace. Amen.

Oro te, Domine, pro meis familiaribus et consortibus, ut repleas nos virtutibus tuis sanctis; munda vitam nostram et sanctifica ad laudem tuam, et ad utilitatem Ecclesiæ nos dirige, Deus noster. Suscipe, Domine, hanc orationem querulosam, et fac nobiscum secundum tuam misericordiam. Amen.

DE QUERELA IMPOTENTIÆ VIRIUM.

CUM *senuisset soror M. dixit*: Væ mihi miseræ! querulor in conspectu tuo, [cælorum] Deus, quod deterior nunc, quam ante triginta annos fuerim, sum inventa. Tunc enim in exilio degens utebar quibuscumque; nunc autem ut subsistam, uti necesse est delicatioribus alimentis. Proinde inter animam et carnem meam duos [perpetuos] constitui custodes, ne plus mihi sapiant quam oportet. Præservant etiam sensus meos ne seducar in avaritiam plus habendi, vel iis diutius immorandi. Primus custos est discretio quæ omnia perfecte, secundum Dei voluntatem ordinat ad

VI. 4.

utendum ; ita quod homo alienum cor semper retinet ad terrena , adeo ut si his caruerit , animus consoletur , anima liberetur , sensus non sollicitetur , sicque in Domino delectetur , ac si ab amico optimo de maximo onere sublevetur . Quicumque enim hæc terrena onus esse non reputat , spiritalem se in conspectu Domini non cogitet aestimari . Quapropter hæc dicit Dominus : In necessitate omni bus uti licet , qui a voluntaria paupertas semper egens est ; ideo sancta est , nec potest in ea superfluitas tenebras in anima generare .

Secundus custos meus , timor sanctus , qui per supernam Sapientiam cavet ne anima mea donis terrenis mihi oblatis arrideat , sed ea ut tentamenta suscipiat , ne avaritia aut vana gloria subrepat , quæ multos laudatos religiosos adeo cæcaverunt , quod lumen discretionis caloremque amoris ac gustum divinæ dulcedinis , pacem ac miserationem adeo perdiderunt , quod proprium non sentiunt detrimentum . Hæc dicit Dominus : Ecce ipsi dicunt [sub pulchra specie ,] quod ideo terrena [diligunt et sibi] cumulant ut mihi serviant ; sed ipsi non mihi , sed magis serviunt ventri suo . Qui sibi commodum et utilitatem procurat , suus est ; verum omnis homo deberet esse Christi , ut non quæ sua , sed quæreret quæ sunt Jesu Christi . Vere felix homo qui totus vivit Deo ; hic æquo animo recipit quod offertur ; quemadmodum Deus Pater Unigenitum de trono majestatis deposuit in stabulum paupertatis , sic hodie electos suos ab omni segregat voluptate . Vere sanctus plus metuit quam quærit necessaria . In cælo enim mente habitat , et hic aestimat se captivum . Hæc dicit Dominus : Ei qui libertatem meam cognoscit et diligit , non sufficit ut me diligat propter me , sed et creaturam diligat in me ; et sic me proximum retinebit in se .

QUALIS DEBEAT ESSE IN EXTREMIS.

VI. 6.

INTERRŌGAVI Dominum meum , quemadmodum in extremo vitæ meæ tempore placens suis conspectibus apparerem . Et dixit mihi : Qualis eras tuæ conversationis initio , talis esse stude in tempore vitæ tuæ extremo : charitas , deside-

rium, contritio, timor, tuæ fuere salutis primordia; necesse quoque est ut in his consummationem accipiat vita tua. Et dixi: O Domine, ubi erunt fides et spes, quæ sunt christianitatis corona et principalia fundamenta? Et respondit mihi Dominus: Fides in cognitionem convertitur, et spes in realem certitudinem.

Hanc verbis ejus glossam reperi, et mente mea intellexi: In tribus contritio mea extat: De peccatis doleo, præcipue pœnitens et contrita ex charitate; pœnam autem contritionis abstulit amanti charitatis in amore. De peccatis universorum dolens plango, facta tamquam infirmus delicatam rem cupiens, quam raro vel nunquam consequetur. Idcirco cor meum mœrens et anima mea desiderando persequens, utpote venator feras immanes et sylvestres. Et dixit mihi Dominus: Immanes feræ capi non poterunt nisi ad aquas profundissimas agitentur; sic peccator non convertitur, nisi justorum desideriis in profundas pœnitentiæ lacrymas impellatur. Doleo de omissis bonis operibus, quæ propter carnis commodum præter causam debitam intermisi. Et dixit Dominus: Sicut sine locali spatio habitatio non construitur, sic sine justis operibus possessio in cœlestibus non habetur. Quod idcirco Dei charitas constituit, ut unaquæque anima quasi pro merito accipiat quod per Dei gratiam est assecuta. Idcirco Deus nostros labores, paupertates, infirmitates tam libenter amplectitur, ut has miseras in charitate supportantes remuneret, suæque justitiæ condescendat prout suæ congruit æquitati. Hæc in cumulo divinæ reperi largitatis.

QUALITER EXULTAT DE MORTE SOROR MECHTILDIS.

MULTUM sum mirabilis, mirorque in meis sensibus quod VI. 26.
anima mea sic est mirabilis. Cum de morte cogito,
exultat ad exitum anima mea tam potenti gaudio ut perfundantur dulcedine ossa mea; anima enim mea quædam ineffabilia in exitu animæ de corpore mirabilia contemplatur. Hoc respectu amplector tempus mortis, quod Deus mihi

constituit *et non poterit præteriri*. Extendit autem e contra se in extrema tempora amplitudo desiderii mei, ut cum Sanctis, qui tunc erunt, fundatur sanguis meus in fide ejus quem diligo, Domini Jesu Christi. Ejus charitatem ex singulari dono me habere profiteri audeo, eo quod contemptus et tribulatio exurgens in amore Dei tam suaviter me accendit, ut corpus meum voluptate delicata repleatur. Manet tamen apud me compassionis miseria, oroque pro persequentibus me, ut a peccatis liberentur.

VI. 27.

Domine sancte Pater, gratias ago tibi quod me creasti. Domine Jesu Christe, laudo te quod me redemisti. Spiritus alme Domine, glorifico te quod me *purificans* emundasti. *Benedico te*, sancta et indivisa Trinitas, *Deus noster*. Memento nunc, quæso, Domine, omnis fidelitatis *et gratiæ tuæ*, et concede mihi misericorditer mortem quæ ab omni angustia me liberet. *Amen*.

In manus tuas commendo spiritum meum.

VALEDICIT OMNIBUS CREATURIS.

MORITURA, omnibus a quibus separor valedico. Primum, sanctæ Ecclesiæ, gratias agens Deo quod christiana de christianis nata sum; cui quousque vixero, exorans pro peccatoribus, quos patitur, adhærebo. Valedico cruciatis in purgatorio; [quod si diutius hic maneam, illorum debita libenter compensare volo,] gratias agens Deo, quod vasa sunt misericordiæ, quibus exoptabo. Damnatis justitia Dei in ipsis refulgens utitur, quibus si semper viverem, non optarem. Valedico omnibus criminaliter in hoc mundo viventibus, gratias agens Deo quod eorum consors non sum; pro quibus, cum vixero, ut convertantur exorabo. Valedico omnibus vere pœnitentibus, gratias agens Deo quod eorum consors sum, eorumque quo advixero, amatrix sum. Valedico omnibus hostibus meis, quorum Dei gratia victrix ego sum; quorum si viverem, semper salutem exoptarem. Valedico creaturis omnibus, confitens et dolens quod eisdem perverso ordine sum abusa. Valedico amicis meis charissimis, gratias agens

Deo et ipsis quod mihi in meis necessitatibus affuerunt; coram quibus si viverem, semper erubescerem, quia meos defectus et miseras cognoverunt. Valedico tibi, fomes immunde, per quem in me dona Dei sunt obruta, et quodam modo in nihilum computata. Parce, Jesu piissime, quia peccavi nimis coram te. Valedico corpori meo misero, gratias agens Deo, qui me a multis malis misericorditer custodivit, ab eo, cujus talis est insolentia, pro qua si diu hic morarer, ipsum perpetuo detestarer.

DE TURMIS OCCURRENTIBUS ANIMÆ EGREDIENTI.

COACTA scribo quod libentius vellem reticere; timeo enim [secreto] inanis gloriæ jaculo vulnerari; verumtamen, nisi Deus pepercerit, plus de silentio vereor judicari. Timorem et mœstitiā continuam cordisque molestiam ab infantia anima mea sustinuit, quæ de extremo hujus vitæ termino sollicita semper fuit. Nunc in ultimo vitæ meæ tempore ostendit mihi Dominus Angelorum ac Virginum, processionali more, de cœlo descendere turbas quatuor. Virginum turmæ innuit virtutes quibus floruit homo Christum serviens *in hoc mundo*; angelica vero munditia, puritatem meritorum qua Deum coluit repræsentans. Has turmas Filius cum Virgine Matre sequitur, ut egredientem de carne spiritum tueatur. Erat hæc via pacifica, itemque sole clarior ex Sanctorum illustrata splendoribus et æternis fulgoribus. Et ait anima: Hæc via mea excellens merito complacet mihi, Domine; pavesco tamen intime quomodo solvar a corpore. Et ait mihi Dominus: Traham spiritum tuum in me, sicque sicut adamas sequeris attrahentem te. Harum processionum a latere altrinsecus multitudo erat dæmonum, quos nec oculis perspicere, nec numero valui æstimare. Verberabant se mutuo crudeliter, et corrodebant unguis atrociter [sicut insani], nec tamen ad eorum aspectum expavi; sed exultavi uberius de præsentia ejus qui aderat, Jesus Christus. Hinc admirata nimium quæsi a Domino quo gererentur ista prodigio. Et respondit Dominus: Ex ubertate securitatis scaturit hoc

V. 32.

gaudium : cognosces enim tunc quod nunquam per dæmones a mea charitate vales deinceps impediri.

QUALITER PRÆSCRIPTUS LIBER INNOTUIT.

VI. 20.

AD cognoscendum ea [dona] quæ in libro conscripta sunt, tribus modis Dominus me instruxit. Primo, multa dulcedine ; postea, intima familiaritate ; extremo, in nimia pœnarum asperitate : in quibus libentius quam in primis duobus perdurabo. Quamvis enim dulcedo et familiaritas Dei perpetuæ in seipsis et nobiles sint, tamen in hoc mundo tam raræ sunt, ut eas etiam ipsi qui possident exprimere non sinuntur. Timeo etiam spirituales voluptates, quoniam Christus multas acutas persecutiones pertulit in hac vita. Verum natura amoris est ut primo quidem fluat dulcedine, deinde ditetur cognitione, postremo contemptum appetat et lætetur in abjectione. [Sane tu es multum instabilis ;] attamen verus Dei amor interdum languet ex [mala] dulcedine inanis gloriæ et tumore superbiæ, ex [nociva] phrenesi iracundiæ, ex amplitudine terrenæ concupiscentiæ, fitque paralyticus in omnibus membris suis, ad inchoandum *et perficiendum* omne quod natura etiam subministrat. Porro nullus in corde suo cœlesti gaudio plene fruitur, qui non omne solatium [et omnem gratiam in hoc mundo] abnegavit. *Hujus enim mundi* voluptates a Deo separant ; unde ad ipsum redire cum amaritudine nos oportet. Tamen quia sine ipso nihil possumus, nequaquam denegat gratiam ad omne quod agimus, et auxilium ad ea quæ graviter sustinemus.

DE CONCORDIA FINIS CUM PRINCIPIO HUIUS LIBRI.

IV. 28.

LIBER iste a charitate sumpsit initium, unde conveniens est ut in charitate etiam concludatur ; quia nihil sapientius est charitate, nihil sanctius, nihil pulchrius, nihil fortius, nec potest aliquid perfectius inveniri. Tunc dixit Dominus

noster Jesus Christus : Loquere, Pater, ego nunctacere voio, sicut tu taces, fremens et murmurans in ore Unigeniti tui, propter humani generis fragilitatem, et sicut humanitas mea locuta est tremens propter mundi falsitatem. Respondit enim voci meæ per mortis acerbitatem, interficiens me veritati testimonium perhibentem.

